



**R. P. Maximiliani Sandæi E Societ. Iesv Doct. Theol.
Paradisvs Amantium, Colentium, Imitantium Christvm
Crvcifixvm**

Sandaeus, Maximilianus

Coloniae, 1648

45. Vtitur Crucis signo, velut lapide ad confringendum vas lethifero potu
plenum.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55065](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-55065)

V.

AMATOR CRUCIFIXI

*vitur Crucis signo, velut lapide, ad
confringendum vas, lethifero
potu plenum.*

45.

S BENEDICTVS plurimorum fuit in **S. BENE-**
Gymnasio **CRUCIS** discipulorum **DICTVS.**
Magister, quorum nonnulli optima
præcipienti immorigeri penè exitium
creassent, nisi **CRUX** per modum lapidis
fuisset saluti.

Erat in vicinia, vbi sedem suam habebat Benedictus, monasterium, cuius præside defuncto, congregatio vniuersa ad Benedictum veniens, infimis, importunisque precibus postulauit, vt defuncti Patris munus susceperet. Renuit initio vir Sanctus, quod diceret vitæ suæ institutum cum illorum moribus minimè conuenire. At illi cum instarent, vrgerentque, tandem pronūciam suscepit, & dissolutos mores seueritate disciplinæ adstringere est aggressus. Tum ijdē dementiæ & temeritatis sese accusanter, cōsilia plena iniquitatis de morte Benedicto inferenda captarūt. Itaq; venenum vino mixtum Viro Dei propinare statuunt. Sed cum vas vitreū

F

in

CRVX
signum
vite.

in quo pestifer potus habebatur accum-
benti obrulissent, ille, vt benediceret
CRUCEM formans, ita id confregit, ac si
pro CRUCE, lapidem in vitreum pocu-
lum iecisset. Intellexitque protinus
vir Sanctus, quia potum mortis habue-
rat, quod CRUCEM, signū vitæ, portare
non potuit. Tū placido vultu menteque
tranquilla insidiatores suos alloquens
dixit: Deus vestri misereatur, Fratres,
quare tam nefarium scelus patrare vo-
luistis? ite & Patrem vestris convenien-
tem moribus querite, quia post hæc ha-
bere me minimè potestis: sicque ad lo-
cum dilectæ solitudinis est reuersus.

*S. Gregor. lib. 2. Dialog. Surin. 21. Mart.
Baron. Not. Martyrol. & 10. VII. Annal.*

AMATOR CRVCFIXI

*utitur Crucis signo, ut vas lethiferum potu
plenum, faciat salutare.*

Hoc tentauit S. IOANNES Apostolus,
& cessit è voto. Nam cum ei obla-
tum esset poculū vipereo spumans ve-
neno, ille interritus sūpsit, & cum signū
CRUCIS expressisset, magno fortiq; ani-
mo toxicū hausit, & nihil prorsus sensit:
fuitq; poculū salutare. Siquidem mirati
circumstātes, DEVM laudarunt, & Apo-
stolum verum DEI seruum prædicarūt.
Vita xxvii. Decemb. Sur. Gras. Alij. VI.